

DIALOGUS VIII.

De Symbolis aliis variorum Sacerdotiorum.

PUBLIUS.

Sextus, quem pinxisti, Numus victimam sistit, nempe Taurum, capite quasi mitrato, & stragulo intectum: infra culter vel securis, eidem feriendo præparata: adstat autem aræ jam ardenti. Supra linea obliqua legitur: JOV. OPT. imo MAX. imo. Infra SACR. um. TULL. Vulgavit hunc Numum argenteum denuo *Gelzius* in Cæs. Adversam exhibet Tab. III. n. 32. cum capite laureato, & lituo post verticem, addita epigraphe: CÆSAR DICT. ator QUART. um. Aversam habet Tab. XV. n. 8. Hujus porro in enarratione recte dixisti *Victimam*, quo nomine majora, quæ immolabantur, animalia designata sunt: minore quippe, ut oves, volucres, nomen *Hostiæ* gesserunt. Invaluit quidem & Romæ aliquando execrandus ille ritus homines immolandi, Senatus tamen Consulto abrogatus. Tiberius Cæsar eundem, teste *Plinio*, Druidibus in Gallia, Hadrianus, juxta *Eusebium*, universis per omne Imperium Romanum populis districtè inhibuit.

Victimæ interim, æque ac *Hostiæ*, quæ mundæ, ac nuspiam vitiatæ esse debuerant, haud inornatæ ad aram ducebantur. Coronari solebant illa herba, quæ Numini, cui Sacra fiebant, gratissima esse putabatur. Cornibus aurum inductum est, quantoque quis ditior erat, tanto splendidius victimam filaminibus, & stragulis pretiosis exornabat. Præferebatur etiam titulus, qui doceret, cui Deorum cederet *Hostiæ*, ut legis in hoc Numo: *Jovi Optimo Maximo sacrum*. Superstitionis autem erat, quod omen felicitis, aut infelicitis eventus inde caperetur, si *Victimæ* libens, &

I.
TAB. I.
N. VI.

Libr.
XXX. c. I.
De Præparat. Evang. p. m. 154.
II.

promta ad aram accederet, ibique quieta confisteret; vel si contra illuc vi pertrahi debuerit, aut insolens recalcitraverit. Item: quod per *Aruſpices*, & *Extiſpices*, inteſtina *Victimarum* partes pari cum fraude, qua cum ſollicitudine, examinarentur, & inde prædictiones Divinæ redderentur. Unde, in horum Sacrificulorum commodum perſæpe fiebat, ut *victimæ una non litaretur*, i. e. iſtis mentientibus, Numen placatum non fieret; ſed alteram, tertiam, quartam, immo, publicis in Sacrificiis, viceſimam, triceſimam, ac plures immolare oporteret.

III.
TAB. I.
N. VII. &
VIII.

PUBL. Septimus, & octavus Numus denuo Tripodem ſiſtunt, aliter vero, aliterque ornatum. Primo Delphin incumbit, orbi impoſitus, ſubtus quem Corvus confidet, cum epigraphe: *XV. VIR SACR.orum FAC. iundorum.* Alteri Sertum laureum, prominentibus frondibus, impoſitum: in pede pulli duo adſtant: a dextris viſuntur ſecuris, ac *Simpulus*, ad lævam *Urceus*. Circum lego: *DIC. tator QUART. um PARENS PATRIÆ.* Primus ad quem attingat, ignoro: alter citra dubium *Julii Caſaris* eſt. *TULL.* Utrumque Numum tibi pinxi, ut videres, quomodo Tripus varie ornaretur. Priorem *Aeneas Vicus* argento *Vitellii* 8vo exhibuit abſque Adverſa: quæ autem, juxta *Argelatum*, Imperatoris hujus caput cum ſolitæ titulis refert. De eodem *Suetonius* tradidit, eum in juventute Sacerdotiis ampliffimis auctum fuiſſe, ſic vero ab ipſo adminiſtratis, ut ornamenta pariter ac dona Templorum ſurripuerit, proque auro & argento, ſtannum & orychalcum ſuppoſuiſſe diceretur. Peculiare porro eſt, eundem etiam, cum *Augustus* jam eſſet, ac Pontifex maximus, adhuc tamen *Quindecimviratu* gloriari voluiſſe.

In Vitell.
• 5.

IV.

PUBL. Prolixius me coram de *Quindecimviris* diſſeruiſti in *Exercitat. Prozm. Dial. ult. n. 3. ſqq.* dum de *Sibyllis* ageres: quarum libris cuſtodiendis *Duumviri* primum, deinde *Decemviri*, poſtea *Quindecim*, immo *Sedecimviri* conſtituti, donec *Collegium* iſtud uſque ad *Sexaginta* decumano numero accreverit, *XV virorum* nomine nihilominus retento. *TULL.* Hæc ibi. Nunc addo, ne turba tanta otioſa eſſet, cum raro jam ad libros fatales inſpiciendos, habitu atque proceſſu ſolemni, *Capitolium* accederent, & redeuntes, de oraculorum ſenſu *Senatui* refer-

ferrent, curam ludorum, cum primis Apollinarium, iisdem in-
iunctam fuisse. Quod ubi fiebat, expetere sibi pro insignibus
Tripodem, *Delphinum*, & *Cornicem*, non *Corvum*, quod antea di-
xeras. PUBL. Pleno jam intelligo Numi prioris mysteria; de
altero quid me doces?

TULL. *Golzianus* est rursus: cujus *Adversa* Tab. III. n. 33.
in argento sistit caput velatum, ac laureatum, cum lituo ante fa-
ciem, ac epigraphe: CÆSAR AUGUR IMP. QUIN. *Ætum*
COS. *ul.* QUAR. *tum.* Aversam, a te supra enarratam, apud
eum videas Tab. XVI. n. 13. Pullos in ea rite agnovisti; ete-
nim ex his pariter auspicia captabantur a *Pullariis*. Res levissima,
ac plane ridicula, plebem tamen sic fascinavit, ut summa tam
Reipublicæ, quam Belli negotia, sine *Pullarii*, licet sæpe dolo
agentis, assensu ac suasu, suscipere non liceret. Aleba-
tur ubique pullorum numerus, domi, & in castris, ac classi-
bus, pastu eisdem parce admenso. Cum vero auspiciam cape-
re liberet, pabuli copia præbebatur. Ad quod cum avidi accur-
rerent, appellabatur *Tripudium*, & bono omine acceptum est,
maxime, si tam avide vorarent, ut grana nonnulla rostro deci-
dere sinerent, aut plane dispergerent: cui nomen *Tripudii soli-
ssimi* dedere, a *solo* deductum. Contra vero, si lente accederent,
inauspiciatum censebatur negotium, aliumque in diem differen-
dum erat.

Spreverunt hoc aliquando, maximo malo suo ob nimiam
populi superstitionem, *Claudius Pulcer*, & *Lucius Junius*, classi
Præfecti apud Siciliam. Prior quippe, dum de felici expeditionis
navalis eventu *ex pullis* pro more periculum fieret, hique vor-
rare non vellent, eosdem aquis injici præcepit, ut scilicet bibe-
rent. Verumtamen classe sua eodem in loco, peregrino & sub-
ito casu, merfa, quasi pro religionis contemptu, fatum infelix
promeruit. Ut enim habet *Valerius Maximus*, id e *Suetonio* repetens,
„ *L. Junius*, *Publ. Claudii* collega, neglectis auspiciis classem tem-
„ pestate amisit. Quorum ille Populi iudicio concidit, damna-
„ tionisque hic ignominiam voluntaria morte prævenit. “ Tanta
vis est etiam superstitioni lepidissimæ, quæ invulgius invaluit, ut
omne prudentum iudicium opprimat.

V.

VI.

Dictor. &
Fact. me-
morab. L.
IV. c. 3.

Com-

VII. *Imp. p.* 236. Committere porro non possum, quin commemorem tibi opinionem Cl. *Patini*, cui adstipulari non possum. Protulit ille Numum *Caracalla*, cum ejus vultu in Adversa, & nominibus: *M. arc. AUR. elius ANTONINUS CÆS.* In Adversa sequitur: SEVERI PII AUG. *usli FIL. ius.* infra: S. C. Medium occupant pleraque signa Pontificalia, scilicet lituus, culter victimarius aut secespita, Patera, Urceolus, Capeduncula vel simpulus, & aspergillum. In expositione advertit antiquarius celeberrimus: ad litui formam, qui erat baculus recurvus, formatum esse in Ecclesia nostra Pedum Episcopale: ad Pateræ speciem Patenam, qua calix integitur: ad amphoræ, oleo, vino, lacti, aut melli continendo factæ, similitudinem excogitatos esse pro Missa Urceolos vini, & aquæ: demum thuris naviculas imitari formam capedunculæ. Ego, ut non abnuam, inter veteris & novi Sacrificii vasa quandam formæ similitudinem apparere, pace tamen tanti viri arbitror, Pontificibus, ac Sacerdotibus nostris, per se tantum ingenii fuisse, quantum Popis ethnicis, vascula rei Divinæ maxime accommoda inveniendi, quin ab istis rem facillimam emendicare deberent.

VIII. *JAB. I.*
N. IX. *PUBL.* Numi noni Scuta gemina oblonga, fulmine trifulco insignita, & in medio velut incisa, quæ utrinque Tutulum stipant, apice, ac filaminibus ornatum, haud intelligo. Epigraphe plana est: Supra: *P. ublius STOLO.* Infra: *HIVIR. TUL.* Dissident in hoc numo explanando celebres antiquarii. Duplicem is habet Adversam apud *Patinum* in Familia *Lacinia* p. 152. Primum quidem Cæsarem equitem, qui dextra coronam deferre videtur, cum titulis: *AUGUSTUS DIVI Filius.* In altero numo caput Augusti comparet, legiturque: *AUGUSTUS TR. ibunitia POT. estate.* Clypei, qui sunt in Adversa ab *Ursino*, *Patino*, *Vaillantio*, pro Ancilibus habentur, maxime, quia eadem plane figura occurrunt in quopiam numo *Antonini Pii*, cum diserta epigraphe: *ANCILIA.* Nihilofecius Ill. *Spanbemi*, & Cl. *Harduin* id negant.

IX. *PUBL.* Qualem Scuti genus *Ancilia* fuere? *TULL.* Numa Rex populo persuaserat, clypeum aliquem parvum cælo delapsum esse, unacum vaticinio, Romam tamdiu fore felicem, & insuperabilem, quamdiu apud se hunc vadem quasi salutis custo-

stodiret. Rotundus quidem hic clypeus erat ovali forma, hinc & inde tamen in lateribus semicirculo intra converso velut incisus: quapropter & *Ancilis*, nempe ab *incisione*, nomen accepit. Ne porro pignus hoc cœlestis fortunæ Romanæ æternæ qualibet fraude facile auferri posset: *Mamurius Veturius* artifex peritissimus, undecim alia hujusmodi Scuta, æthereo illi ut ovum ovo simillima confecit, non alia mercede optata, nisi laude perenni. Hæc postea, unacum illo cœlesti, simul in templo Martis fuere suspensa, ignorantibus omnibus, quodnam ex his de nube venisset.

Cultus autem publicus ne deforet, Numa Rex collegium X,
XII. Saliorum instituit: qui hæc Scuta integro mense Martio cujuslibet anni per totam urbem circumferrent, saltantes, atque cantantes. Qui prævit saltando, nomen *Præfulis* gessit: præcentor *Vates* dicebatur. Carmina laudes Martis, ac Herculis, qui Romanis unum erant Numen, item & *Mamurii* fabri ancilium continebant. Completo festo, *Saliis* epulæ lautissimæ parabantur, ita, ut *Prandium saliare*, nempe opiparum, in proverbium abiret. Deligebantur hi *Saliares* e *Patritiis*: neque summi ac nobilissimi viri hoc Sacerdotium suscipere dedignabantur. Quod a Tullo Hostilio Rege aliis adhuc *XII. viris*, ut satisfaceret plurium votis ad id adspirantibus, adauctum fuit. Princeps eorum dicebatur *Magister*: Vestibus utebantur communibus, præterquam quod, uti *Flamines*, in capite Tutulum cum apice gestarent: quo & *Saliæ* pariter *XII. aliis* a fœminis discernebantur.

Superstitio porro tanta huic festo accessit, ut mense toto, quo *Ancilia* circumferebantur, quidquid negotii susciperetur, foret inauspicatum. Nemo itaque laborabat, nemo proficiscebatur, nemo nubebat: non licuit exercitum ab urbe ducere, non hostem in acie aggredi. Alias vero, cum bellum susciperetur, Imperator, qui exercitum eduxit, *Ancilia* in templo Martis, cum dicto, *Mars vigila*, sua dextra commovit. Factum autem subinde fuit, eadem sponte sua concrepasse: quod malo omine accipiebatur. Ex eo proinde, quod *Ancilibus* circumlatis infausta omnia crederentur, uti *Taciti*, *Suetonii*, *Livii*, *Polybii* testimoniis liquet, negavit *Spanhemius*, ea hoc in numo exhiberi, reticens tamen, quæ alia Scuta hic essent. Unde ignoro, qua

Acerr.
 nov. P. I.
 p. 667.
 seqq.

XI.

ratione *Antonini Numum*, cujus ipse non meminit, & in quo clypeis consimillimis nomen *Ancilia* diserte adscriptum, exposuisset.

XII.

In Plin.
suo Tab.
X. n. 24.
ad Tomi
II. p. 681.
nota 9.

Est vero Cl. P. *Joann. Harduinus* e Soc. J. mox dictum numum pingens, & exponens, fiducia elegantis ingenii sui, qua sæpenumero audet contra omnium sententiam pronunciare, hic quoque solitum suum artificium, epigraphes non modo obscuras, & exoticas, verum etiam sæpenumero planissimas in singulares literas disjiciendi, cum animo adhibet. Quid, ait, ad *Antoninum* arma cœlestia? Cogitandum potius de clypeis, ex ære, argento, auroque factis, qui Cæsaribus a populis, ac urbibus, Mercatorum quoque & Negotiatorum collegiis, vel tributi, vel honorarii muneris causa, persæpe donabantur, in æs deinde, argentum, aurumque signatum conversis. Dividatur ergo vox ANCILIA singulares in literas initiales, atque legatur: *A.ugures N.arbonenses C.lypeos L.usignes L.egaverunt I.mperatori A.ntonino.*

XIII.

Verumtamen cum imago Numi ne minimum quidem signum, sive Narbonis, sive Augurum referat, neque vir Cl. opinionem suam autoritate ulla, vel historia suffulciat: contra vero appositæ literæ S. C. monetam hanc verosimillime Romæ Senatus Consulto signatam demonstrant: nec facile liqueat, quid causæ Senatui esse potuerit, tributum, vel donum Narbonensium ære suo celebrandi: tentatæ dissectioni planæ vocis *Ancilia*, cum qua & imago cohæret, ægre adstipulor. Tuetur quidem alibi vir perspicax, Monetarios Gallicos dedita opera, ac veluti mutuo ingenii certamine, epigraphes per ænigmata construxisse. Mihi autem, qui tamen ultra neminem sapere mihi videor, id contra naturam numerorum asseri apparet: quorum erat, præconia in eisdem signata, memoriæ posterorum in ævum transmittere. Id, quod sane per ænigmata, quorum paucissimi foren Oedipi, consequi non licuit.

XIV.

PUBL. Miror ego, unicum Numum viris doctis hujus ævi tantum negotii facessere. *TULL.* curiosum hoc magis, quam utile: quare Numi, recreandi potius animi, quam ferii studii causa tractandi. Exploratum est enim, etiam, si Scriptores antiquos omnes, Romanos, Græcosque, universos per angulos excuf-

excusseris, plurima tamen in monumentis veterum, Statuis, Imaginibus, Numis, Inscriptionibus, immo & in ipsa historia, longe alias ob causas, ac sensu magnopere diverso, dicta, & ficta suis ab authoribus fuisse, ac hodie ingenio nostro assequi datur. Dicit de Numo a me picto commodissime posset, *Stolonem* III Virum, pingendo Tutulum, & Ancilia, prædicare voluisse, unum avorum suorum, aliquando *Sahari* Sacerdotio inclitum. Obstare autem videtur, quod gens ejus *Licinia* plebeia fuisse tradatur, *Lucano* interim de *Ancilibus* canente :

- - - - - Sic illa profecto
Sacrificio cecidere Numæ, quæ lecta Juventus
Patricia cervice movet.

Sed relinquamus hoc mysterium in medio, quod nullo damno nostro fecerimus.

DIALOGUS IX.

Augurum, Epulonum, Flaminum,
& aliorum Exempla in Numis.

P U P L I U S.

NUmus decimus Tabulæ tuæ *numæ*. aram sistit flammantem ad quam victimarius hostiam adducit, scilicet capram, I. TAB. I. cuius collum sero appenso, exornatur: retro aram stat augur cum lituo. N. X. Infra legitur: NUM. a POMPIL. ius, literis M. ac P. contractis. TULL. Bene singula. Facturus autem nunc, atque deinceps, ut pleraque Sacerdotum Romanorum genera e Numis cognoscas, *Augurem* primum hoc in denario præfenti deducere in scenam tibi volui. Reddidit eum *Patimus*